

xxix. Il sogno di Ilia. 34-50 Sk. = 35-51 V.

Et cita cum tremulis anus rettulit artibus lumen.
Talia tum memorat lacrimans, exterrita somno: 35
'Eurydica prognata, pater quam noster amavit,
vires vitaque corpus meum nunc deserit omne.
Nam me visus homo pulcer per amoena salicta
et ripas raptare locosque novos. Ita sola
postilla, germana soror, errare videbar 40
tardaque vestigare et quaerere te neque posse
corde capessere: semita nulla pedem stabilibat.
Exim compellare patrem me voce videtur
his verbis: "o gnata, tibi sunt ante gerendae
aerumnæ, post ex fluvio fortuna resistet." 45
Haec ecfatus pater, germana, repente recessit
nec sese dedit in conspectum corde cupitus,
quamquam multa manus ad caeli caerulea templa
tendebam lacrumans et blanda voce vocabam.
Vix aegro cum corde meo me somnus reliquit.' 50